



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Oldeberto Svbdiacono nostro, Praeposito sancti Gaudentij Novariensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

cum possessionem ipsam sine dolo & culpa sua obtinuerit auctoritate Prætoris, & per hoc jus sibi fuerit acquisitum, monasterium vestrum super possessorio audiri ulterius non debebat, cui parata erat in petitorio respondere. His ergo & similibus in nostra & fratrum nostrorum præsentia prudenter à partibus allegatis, nos attendentes quòd laicis etiam religiosis super Ecclesiis & personis ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, à quibus si quid motu proprio statutum fuerit quod Ecclesiarum respiciat etiam commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum, (unde statutum Basilij de non alienandis prædiis rusticis vel urbanis ministeriis & ornamentis Ecclesiarum illa reprobaturum fuit potissimum ratione, quòd auctoritate Romani Pontificis non fuit roboratum) ne in exemplum transeat similia præsumendi quòd à sæpedito B. factum fuerat in præjudicium monasterij non conventi, nec confessi etiam, vel convicti, prorsus in irritum revocantes, possessiones easdem restituendas sibi sententialiter diffinimus, nec ipsas quæ in locum & jus illarum quas ab I. de Atteia Ecclesia sanctæ Mariæ petierat successerunt, interim alienare valeat prohibentes, ut si Ecclesia sanctæ Mariæ vel de vitio litigiosi contractus vel de proprietate forsitan voluerit experiri, ne si obtinuerit in iudicio, in vanum labore, monasterio minimè possidente, sit quod evincere valeat & habere. Datum Laterani V. Kal. Decembris.

*Scriptum est super hoc in eundem modum Clericis sanctæ Mariæ in via lata.*

**OLDEBERTO SVBDIACONO**  
*nostro, Præposito sancti Gaudentij*  
*Novariensis.*

*Epist. 240.  
Vt habeat jurisdictionem in suos fratres.*

**A**D hoc in domo Domini statuta fuisse noscuntur officia Prælatorum, ut ipsi speculatores solliciti existentes, excessus puniant subditorum, & de agro Domini zizania colligant ad comburendum, & triticum in ipsius horreis studeant congregare. Ut igitur commissum tibi præposituræ officium utiliùs prosequi valeas, devotioni tuæ auctoritate duximus præsentium indulgendum ut liceat tibi excessus fratrum tuorum

secundum Deum & justitiam, non obstante appellatione, si qua forsan fuerit facta in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, corrigere, & eos bonis actibus informare. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis &c. Datum Laterani Idibus Decembris.

**VERCELLENSI EPISCOPO.**

**A**D audientiam nostram te significante pervenit quòd cum Casale sancti Evasij, quod ad jus & dominium pertinet Ecclesiæ Vercellenis, propter multas & enormes injurias quas habitatores ipsius Casalis eidem Ecclesiæ intulerunt, jamdudum sit interdicto suppositum, & majores ejusdem loci excommunicationis sententia innodati, Clerici Casalis ejusdem quosdam scholares, qui cum aliis sunt ecclesiastico interdicto suppositi, in fratres & Clericos elegerunt. Quia verò quibus ecclesiastica sunt officia interdicta, dum tales existunt, eligi non debent ad ecclesiastica beneficia, cum officiorum intuitu beneficia conferantur, fraternitati tuæ, si præmissis veritas suffragatur, cassandæ electionem hujusmodi, non obstante contradictione vel appellatione qualibet, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Præterea quia, sicut tua nobis insinuatio patefecit, quidam Miles de melioribus ipsius loci tibi fideliter astitit in persecutione quam tibi & Ecclesiæ tuæ alij faciebant, propter quod incurrit odium vicinorum, damna plurima est perpeffus, cujus filio, scholari scilicet bonæ indolis, ut testaris, in Ecclesia Casalensi desideras providere; volentes, quantum cum Deo possumus, tuæ fraternitati deferre, ut scholarem ipsum in Ecclesia memorata, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, instituere valeas, auctoritate tibi præsentium indulgemus. Datum Laterani III. Idus Decembris.

*Epist. 241.  
Excommunicati nec eligere possunt, nec eligi.*

**VERCELLENSI EPISCOPO.**

**T**Va nobis fraternitas intimavit quòd quidam laici tuæ diocesis, & alij plures episcopatum adjacentium, decimas Ecclesiis & Clericis tuis perverfis machinationibus subtrahere moluntur, & conceptæ perversitatis audaciam non curant satisfactione debita emendare. Quidam enim ex eis semen & sumptus qui fuerint in agricultura pri-

*Epist. 242.  
Vt decimæ ab omnibus persolvantur.  
Cap. Tua. De Decimis.*

Rrr ij